

070

068

074

064

079

059

119

019

169

Ende

Anfang

55

loca exclamantes, non tamen omnino salutem desperant; nam quandoque a maris exaestuante fluctu nave in altum elevata, tanquam Deus quispiam salutem attulit periclitantibus. Haec Diodorus Antiquarum historiarum lib. 4. de navigatione Troglo-ditarum in sinu Arabico. Verum esti propter peccata mea aut alicujus alterius indigni fuimus caeli signo, tamen aliorum devotissimorum peregrinorum, et potissime honestarum foeminarum, quae in tribulationibus patientes devotissime et lacrymabiliter orabant, dignae divina consolatione erant. Insuper cum Deo derelictus sit pauper, qui in clamores et lamenta miserorum et pauperrimorum Galitorum attenderit, qui in medio tribulationis et procellarum ipsum Deum, virginem Mariam, et Angelos ac Santos crebris et altis clamoribus interpellabant. Aut quis scit, an forte angustiae mulieris imptaegnatae, uxoris fratris domini Patroni, quae in Cypro ad nos ingressa fuerat, ad aures divinae pietatis pervenerint: vel fructus ventris ejus needum ex utero natus divinam pietatem obtinuerit, et propter salvationem animae (21 A) ejus omnes nos salvos transire permiserit. An ignoramus, quod Deus sit pronior ad miserendum quam ad puniendum. Si ergo Sodomitas eum irritantes juste ignis consumpsit, quia nullus inter eos reperiebatur bonus, propter quem omnibus parceret, et misericorditer parvulos eorum innocentes pariter cum ipsis occidit, ne imitatores fierent parentalis nequitiae; quid mirum, si fideles Deum glorificantes, et propter eum peregrinantes, eiusque auxilium precantes juste ab aquis salvat omnes? quia non solummodo quinque tantum, sed forte quinquaginta, quos Abraham primo putavit in Sodomis inveniendos. Gen. 18. p. 24., boni in navi reperibiles erant, propter quos parcere cunctis, etiam criminosis paratus est, et puerum illum in utro matris misericorditer conservare, quem forte scivit fore futurum imitatem virtutum et legum divinarum. Igitur in hac tempestate magnam viam fecimus de vero nostro itinere: quia venti contra portus nobis optatos nos impellebant, et duravit illa tota nocte et die sequenti. Porro facto die, et tempestate durante in patientia sic mansimus sine cibo et potu, quia non erat ignis in Galaea, et coquina superius plena erat aquis et cum hoc omnes vertiginosi eramus facti, et abominabamur

